



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ioannis Bugenhagenii Pomerani Annotationes ab ipso iam
emissæ. In Deuteronomium**

Bugenhagen, Johannes

Basileae

VD16 B 9247

Capvt IIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36133

sed Iosue &c. lex ad perfectū nihil adduxit. Heb. 7.

CAPVT IIII.



Non uult Moyses fieri opera legis sine fide,
Ante omnia ergo fidem exigit, cum dicit,
Israël audi. fides enim ex auditu, auditus
autem per uerbum dei. Contra opera uero absq; fide
clamant omnis ferè propheta.

Præcepta & iudicia.] Heb. statuta & iura.

Ego]emphasim habet. q. d. non quærite aliud aut
hoc negligite. sicut infra, Non addetis &c. Non autem
suum esse, infra declarat dicēs, Custodite mandata do-
mini dei uestri quæ ego præcipio uobis.

Vt faciens ea, uiuas.

Ergo ne operibus uiuificatio, id est, iustificatio tribui-
tur, contra illud, Iustus ex fide uiuet? Respondeo non.
Paulus Gal. 3. sic ait. Quod autē in lege nemo iustifica-
tur apud deum manifestū est, quia iustus ex fide uiuet.
Lex aut non est ex fide, sed qui fecerit ea uiuet in illis.
Primū constat externa & carnalia non posse efficere
spiritualia, quæ distant ut coelū & terra. quādo ergo
externa opera efficient internam uiuificationē? Dein-
de & ipse textus se declarat, Hæc scilicet intelligi de
præsenti uita. Lex enī tyrannis erat & exigebat ope-
ra. transgrediētib; minabatur interitū & eos occide-
bat, seruātib; pmittebat præmiū & præstabat. Verū
ne sic

ne sic quidē opera iustificabāt apud deū, sed hypocrē-
 tas faciebāt quādo in opa respiciebatur & nō in uerbū
 dei. Sic concludebant hypocrite, Verbum dei præcipit
 ista opera, ergo ista opera iustificant. cū potius sic oportuit
 inferre, Verbū dei præcipit ista opera, ergo uerbū
 dei creditum iustificat, & hæc opera erunt testimonia
 & nobis & mūdo q̄ credimus uerbo dei præipientis
 & iustificantis. De præsentī uita ut nō aliquis occide-
 retur uel à lege uel à deo aut in reliqua incōmoda inci-
 deret, hæc dicit, cum aliās tum statim hic ut dixi aperit
 textus, dicens, Oculi uestri &c. Vos autem &c. Custo-
 di igitur temetipsum &c. ut non dicam q̄ aperte terrā
 Canaan promittit. Quid enim potest aliud primū car-
 nalibus prædicari, ut discant tandem legem esse spiri-
 tualē, id est, requirere ea quæ caro nō potest? ut despe-
 ratis omnibus inuocemus patris benignitatem, ut det
 spiritum, ut uere non hypocritice faciamus legem, ut
 uere & in conspectu dei uiuamus iustificati. Itaq; cum
 audis in lege de faciēda lege, semper memineris legē
 præcipere, Diliges dominum deum tuum ex corde
 tuo &c. & proximū tuum sicut teipsum. Hoc opus in-
 timi cordis est, Hoc fac & uiues, ait Christus. Hæc est
 uera illa fides quæ per dilectionem operatur, ex qua
 iustus uiuit. vnde uides scripturam cū de carnali uita
 loquitur respicere in eam quæ uere est uita, sicut &
 Prouer. 3. Longitudo dierum in dextera eius & in sini-

stra illius diuitiæ & gloria. Et cum de externo opere loquitur, uidetur respicere in illud qd' uere coram deo opus est, nempe in cordis dilectionem. Sic infra. Audiant sermones meos ut discant timere me in omni tempore quo uiuunt in terra doceantq; filios suos.

Non addetis. Necessario hoc primū præcipitur. Quomodo enim cōsistere poterimus in re nostræ salutis, quā ceca nostra ratio non intelligit, nisi maneamus in puro dei uerbo? Stulte præsumimus iudicare de ijs quæ sunt super nos. Nullus dei cultus deo placet qui non fit secundū uerbum eius. Et ferè fit ut illi nō habeant uel contemnant, uel persequantur uerbum dei (cui credere est uerus dei cultus) qui humanis adinuentionibus deū colunt, qui est cultus Baal. ut uel hoc iudicio terreamur non agere cum deo humano consilio. Addere non potes uerbo dei uel demere, quia mox ut hoc tentaris, ne uerbū quidē ipsum dei habes sed perdidisti.

Oculi uestri.

Terret exemplo illorum qui ceciderūt, quod & Paulus facit. 1. Corin. 10. Neq; fornicemur &c. Neq; idolatriæ efficiamini &c. lege Num. 25. Beel, siue Baal dicitur maritus. Vides quæ sit idololatria, nempe fiducia ponere in aliud, in tua opera, in tuum cultū dei, quod est alium quærere maritum & fornicari à deo quem admodū loquitur scriptura. Phegor uel peor dicitur, quia in mōte Peor colebatur. Sic facietis, Heb. ut faciatis.

Præcepta & iustitias. Heb. statuta & iura.

Heb. Hæc est enim sapientia & intelligentia.]

Sapientia est cognitio in rebus diuinis siue nostræ salutis. Intelligentia est uis & iudicium discernendæ in rebus externis, & quibus agimus cum hominibus. Vtraq; spiritus est, quemadmodû Esaiæ. II. dicitur, Spiritus sapientiæ, spiritus intelligentiæ. Spiritualis homo dijudicat omnia. Dum carnalis & animalis in omnibus errat, aut incerti iudicij est. Hæc est sapientia & intelligentia ubi regimur secundû uerbum dei, id quod coram deo iustificat & mûdo inculpato reddidit, non enim habet quod de nobis iuste queratur, uiuimus enim sine scandalo & nemini facimus iniuriam, sed beneficimus etiã male merentibus. Et sic obstruimus ora male de nobis dicentium & c. 1. Pet. 2. & 3. Habes hic gentes non habent talem sapientiam & intelligentiam. In quo præfertur uerbum dei omni cognitioni philosophiæ humanæ & c. Item quando dicit, Nullam gentem habere tales ceremonias, præfertur cultus dei, qui est secundû uerbum dei omni cultui qui non est secundû uerbum dei, atq; adeo omnis alius cultus dicitur gentilibus, ideo & impius. Item, quando negat gentes habere adeo iusta iudicia, præfertur iudiciû secundû uerbum dei omnibus iuribus & iudicijs humanis. Hæc gloria debetur soli uerbo dei, ad quod fileant omnia humana & c. Ex Heb. Vt habeat recta statuta & iura, ita ut

hæc omnia statuta quæ ego proponam &c.

Cumētis obsecrationibus.] cum obsecramus pro necessarijs huius uitæ, contra tentationes sine quibus nõ uiuitur, ut peccata remittantur & legis præuariatio &c. Vides q̄ lex damnare nõ potest obsecrantes. In quo fides & mera gratia cõmendatur. Hæc ita quõ q̄ in psal. dicuntur, Qui annunciat uerbum &c. Non fecit taliter &c. Animam] id est uitã, ut supra.

Ne obliuiscaris uerborũ uel factorũ. Sic lege, Ne obliuiscaris corũ quæ uidiſti. Hic meditationem legis requirit, ne uerbo pereunte nobis & ipsi pereamus, quãdo quidẽ non in solo pane &c. Sic psal. mo. 1. Sed in lege domini &c. Docebis] Patres faciunt in domibus ipsorum episcopos & doctores theologiæ. Id quod nostri non seruant, omnia potius apud nos sunt gẽtilia &c. Diem quo stetitisti &c. Reperit de specie legislationis in monte sina, ut admo neat primi præcepti, quod est regula & fundamentũ omnium aliorũ præceptorũ. Duo ergo in hoc capite habes, quæ summa est omnium scripturarum. Alterum ut habeas solum uerbũ dei. Alterum, ut unum deũ uere secundũ illud uerbum colas.

Ardebat.] Ista omnia agit horrende lex in conscientijs nostris ubi reuelata nobis fuerit, Ro. 7. Ego aut̄ uiuebam sine lege aliquãdo &c. Hic sentitur peccatũ, mors, infernus & nihil nisi merum iudicium dei &c.

Vocem uerborū audistis & formā pe-
nitus non uidistis. Ex his sic infert Moyses. Ver-
ba dei audistis, ergo ea amplectamini. Formā dei non
uidistis, ergo ne tētētis aliqua imagine deū exprimere,
quācūq; enim finxeritis nō potest nō esse idolū &c.

Decem uerba.] nota de numero praeceptorū &c.

Tabulis lapideis.] Futurum erat ut scriberet legē
deus in corda, secundū prophetiam Hieremiae. Et hic
supra dixit. Ne excidant de corde tuo &c. & infra
ca. 6. ut uideas hoc ipsum legem requirere sed non da-
re, dicit enim Israēl, tu scribe in corde. Spirituales Isra-
el respondet. Domine non possum, Tu scribe &c. Un-
de infra ca. 29. dicit, Non dedit tibi dominus cor intel-
ligens &c. & cap. 5. Quis det &c.

Non uidistis &c.

Sicut supra diximus, Moyses sic dicit, Sola uerba dei
audisti, ergo sola illa habeto, in his solis cognoscito de-
um. Praecepī quidem ut non obliuiscaris dei, nolo ta-
men ut signum tibi dei facias externum, quod utcunq;
tentaueris facere, non tamen efficies, nam nullam dei
similitudinē uidisti. Signum nullū aliud dei promitto,
quā uerbum quod audisti, id nunq̄ excidat de corde
tuo, id ligetur in manu tua, uersetur ante oculos tuos,
scribatur in ostijs domus tuae, ca. 6. in memoriā redeat
per alia signa quae instituo, per ceremonias, sacrificia
& oblationes, ut nō obliuiscaris uerbi propter quod

ista facies, in hoc signo scilicet uerbo dei certissime deũ possidebis, dum timebis deum non ausus aliquid omittere quod uerbum docet aut aliquid fingere quod uerbum nõ docet, ut iam non tui iuris sis, sed totus in uerbo. Væ igitur nostræ impietati qui relicto uerbo dei secuti sumus nostras adinventiones, satis horrendo iudicio, de quo in psal. Et dimisi eos secũdũ desideria &c. id quod est statim habere deũ alienum, id est, aliud in quo confidas quã in deum uerum, de quo illic præmittitur, Israël si me audieris &c.

De imaginibus sic habeto. Scriptura prohibet imagines, in quibus colatur deus siue sub specie uiri siue sub specie mulieris, siue alterius creaturæ, quemadmodum ad portenta deorũ labitur humana impietas necessario, relicto uerbo dei. Euanuerũt enĩ, ait Paulus, in cogitationibus suis &c. sicut hodie uidemus superstitiosum uulgus errare in superstitioso cultu sanctorum, in obseruatione dierũ, in ueneratione creaturarum, alij occultius idola cordis sui adorãt & opus manuum suarũ, osculantes manũ suam cum adfulget sol clarius, que est iniquitas maxima coram deo secũdũ Iob. est enim confidentia operum tuorũ, maximus dei aduersarius &c. In quibus ut maxime non coleretur deus, tamen mendacium esset uel dicere istam imaginem esse dei, uel istud esse diuinũ quod nõ dei est, sed humanum opus, hominũ manibus & uiribus factum.

Nec minor est impietas seruire uelle creaturis, quas ut maxime tu non feceris & dei sint manibus ita factæ, tamen non sunt factæ ut adores. Nec hic dicas, Ego non adoro opus manuum mearum, sed opus dei. Nam non opus dei, sed deus debet adorari. Stultum est te uelle seruire ys quæ deus creauit ad seruiendum tibi. Gen. 1. id quod uel experientia te posset docere. uide Sapiē. 13. quem errorem etiā sequuntur, qui opera sanctorū non fidē sequuntur &c. Summa, omnis cogitatio humana de deo, præter id quod nosti ex eius uerbo, idolū est. Forte debet abesse. Ne forte &c. Ex Heb. Ut non perdatis uos & faciatis uobis imaginem similitudinis masculi aut foemine &c.

Et omnia astra.] Heb. Et astra & omnem militiam cœli. Ita & prophetæ loquuntur Moysen secuti.

Et errore &c.] Heb. Et perdas te & adores ea & seruias quæ dominus deus tuus distribuit cunctis gentibus &c. Sicut quæ sunt infra cælum ita & cœlestia prohibet adorare. Stultum enim est id tibi pro peculiari deo uendicare, quod ut tibi ita & omnibus seruit gentibus, indicans potius suo ministerio & admirabili specie creatorem, nisi cæci essemus.

Vos autē.] Fides quidē habet & credit quod deus est, sed recta est quādo credis quod tuus est. Heb. 11. Credere oportet accedentē ad deum quod deus est, & quod inquirentibus se remunerator sit. Impietas uero ne primū qui

dē uere credit, opinione quadā ducitur & euanescit in cogitationibus suis secuta idola cordis sui. Dixit enim insipiens in corde suo, non est deus &c. Dominus omnes homines suas creaturas agnoscit & eis dat, pluens super bonos & malos, & solem suum &c. sed per fidem peculiarē uult populū quē in eternū possi deat. Fornaci ferreae Aegypti recte cōparaueris miserias conscientiarū errore seductarū. Non minus beneficij praestitit deus nobis hodie, q̄ illis &c.

Iratus.] Sententia est, Quia ego non transibo tecū, ut supra ca. 1. caue ne obliuiscaris pacti dum nō adest monitor. Vide infra, ca. 3.

Ignis consumens, id est, deuorans & deus emulador, qui non potest sustinere, ut declines ab eo. Amor non est sine emulatione. Cogita simile in matrimonio carnali &c. Atq; hic Moyses suo fungitur officio dum ita terribilem nobis deum ostendit, qualis certe est conscientijs ubi Euangelium non est. Et hoc est q̄ tam saepe inculcat deum locutū de medio ignis &c. Euangelium uero non ut legislator, sed ut propheta statim praedicat, dicens, Cūq; quaeſieris ibi &c. qui est insignis locus pro poenitentia.

Ducturus.] Heb. Acturus. Si tamen.] Heb. Quia toto corde queres eum & tota anima tua quando angustaberis & inuenerūt te omnia praedicta.

Novissimo tpe]. i. posterioribus diebus siue post oīa.

CAPVT V.

29

Interroga. Vide q̄ diligenter urgeat, ut maneant in primo p̄cepto, quod in hoc capite describitur, in quo qui manet, manet in oībus, sine quo reliqua nihil sunt. Hic meditemur quid nobis quoq; per Christū fecerit deus, ut essemus gens sancta &c. 1. Pe. 2. Exo. 19.

A summo &c. id est, ab uno termino coeli ad alterum. Sic psal. 18. & in Matth.

Quia dilexit. Hic non est meritū, ita & psal. 43. De ciuitatibus refugij dicemus cap. 29.

Ista est &c. Siue ad p̄cedentia referas, siue ad sequentia nihil refert, de toto libro loquitur, significans quid quibus & quo loco p̄ceperit.

CAPVT V.



Decem p̄cepta hoc capite proponit & legis naturā describit, scilicet q̄ terret cōscientias, & q̄ lex nisi spiritu nō perficitur. [Non cū patribus.] Certe cū patribus inierat pactum. Sed ex Heb. legendū, Non cū patribus nostris inijt pactum hoc uel pactum tale.

Facie ad faciem. Vide quid hoc in scripturis sit, ubi de deo dicitur. Nā supra dixerat, Nullam speciem dei uidistis. Significat ergo. Locutus est sic nobiscum deus manifestis uerbis & signis quæ uidimus, ut negari non possit quin deus fuerit. Sic Iacob, Vidi dominū facie ad faciem &c. cum tamen uerum sit, Deum nemo

B 5